

Commentarii ad nuntia et studia de re liturgica

Editi cura Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum

Mensile- sped. Abb. Postale - 50% Roma

Directio: Commentarii sedem habent apud Congregationem de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum, ad quam transmittenda sunt epistolae, chartulae, manuscripta, his verbis inscripta Notitiae, *Città del Vaticano*

Administratio autem residet apud *Libreria Editrice Vaticana - Città del Vaticano* - c.c.p. N. 00774000.

Pro Commentariis sunt in annum solvendae: in Italia lit. 50.000 / € 25,83 - extra Italiam lit. 70.000 / € 36,16 (\$ 54).

Typis Vaticanis

IOANNES PAULUS PP. II

Allocutiones: Promessa di osservare la Legge di Dio (2-5); Inno di vittoria per il passaggio del Mar Rosso (6-8); Salmo 116 invito a lodare Dio per il suo amore (9-11); Salmo 117 Canto digioia e di vittoria (12-14)

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

<i>De Regulis servandis ad nullitatem ordinationis declarandam . . .</i>	15-26
Summarium Decretorum	27-45
Litterae Congregationis	46-54
In nostra familia.	55

STUDIA

La Genesi Istituzionale dell'« Editio typica Tertia » del « Missale Romanum » (<i>M. Barba</i>)	56-62
---	-------

IN MEMORIAM

Sua Eccellenza Mons. Lajos Kada	63-64
---	-------

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO
ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

notitiae

2002 - VOL. XXXVIII

CITTÀ DEL VATICANO

RESPONSA AD DUBIA PROPOSITA

UTRUM, IN SANCTA COMMUNIONE SUB UTRAQUE SPECIE DISTRIBUTA, LICEAT CHRISTIFIDELIBUS AD SACRAMENTUM EUCHARISTIAE ACCEDERE, IPSIS PARTICULAM, QUAM IN MANIBUS ACCEPERUNT, IN CALICE A SACERDOTE VEL A DIACONO SUSTENTO INTINGENTIBUS?

R. *Negative.*

Institutio Generalis vero editionis typicae tertiae Missalis Romani explicite affirmat: «Sacerdos deinde accipit patenam vel pyxidem, et accedit ad communicandos, qui de more processionaliter appropriant. Non licet ipsis fidelibus panem consecratum neque calicem sacrum per semetipsos accipere eo minus de manu in manum inter se transmittere. Fideles communicant genuflexi vel stantes, prout Conferentia Episcoporum statuerit. Cum autem stantes communicant, commendatur ut debitam reverentiam, ab iisdem normis statuendam, ante susceptionem Sacramenti faciant» (n. 160); cui adiungit quod hoc in casu: «Si Communio calicis fit per intinctionem, communicandus, patinam sub ore tenens, accedit ad sacerdotem, qui vas cum sacris particulis tenet et ad cuius latus sistit minister qui calicem sustinet. Sacerdos hostiam accipit, partem eius in calicem intingit et eam ostendendo dicit: Corpus et Sanguis Christi; communicandus respondet: Amen, a sacerdote Sacramentum ore recipit, ac postea recedit» (n. 287).

Praeterea, abusus censendus est modus ille, quo fideles in manu particulam iam in Pretiosissimo Sanguine Christi intinctam recipiant.

UTRUM DECEAT PRIMAM COMMUNIONEM CELEBRARE QUINTA FERIA HEBDOMADAE SANCTAE INTRA MISSAM «IN CENA DOMINI»?

R. *Negative.*

Sane quidem a Sacramento Baptismatis et Confirmationis seiuncta, prima plena participatio Eucharistiae cum sacrae Communionis receptione est Sacramentum quoddam initiationis christianae, theologice cum Pascha sociatum et sub specie celebrationis intra Vigiliam Paschalem constitutum (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum, Praenotanda*, nn. 49, 58), alveus naturalis trium sacramentorum, quae, inter se intime coniuncta, «ad plenam staturam perducant christifideles, qui missionem totius populi christiani in Ecclesia et in mundo exercent» (*Ordo baptismi parvulorum, De initiatione christiana, Praenotanda generalia*, n. 2). Cum vero radix et nucleus omnium celebrationum diei dominici per circulum anni liturgici sit Vigilia Paschalis, statuitur, ut, quantum potest, sacramenta initiationis christianae celebrentur, nisi per Vigiliam, nempe «die dominico» (cf. *Ordo initiationis christianae adultorum, Praenotanda*, n. 59).

Non decet, igitur, primam plena participatio Eucharistiae, seu «prima Communio», in Missa «In Cena Domini» celebrare, non modo ratione mere theologica habita, sed etiam pastoralis, cum populum a medio evento historico-salvifico celebratio haec distrahat eo tridui sacri die commemorato: «Tota animi attentio verti debet ad mysteria quae in Missa potissimum recoluntur: scilicet institutio Eucharistiae, Ordinis sacerdotalis institutio et mandatum Domini de caritate fraterna: quae quidem in homilia illustrentur» (CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM, Litt. Circ. *De festis paschalibus praeparandis et celebrandis*, n. 45).

Progrediente evolutione anni liturgici, exorta est autem celebratio quae, licet propriis peculiaritatibus, elementa tamen quaedam Missae «In Cena Domini» reduplicat, scilicet sollemnitas SS.mi Corporis et Sanguinis Christi. Haec sollemnitas, sicut et Dominicarum Paschae et Temporis «per annum» celebrationes, aptiora praeberent adiuncta celebrationi primae participationis Eucharistiae.